

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CCLVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

adversariis, eam arrodendi & avidius expetatur & perlegatur diligentius. Adde quod si typis invulganda fuisset, quod Doctor Jacobus Heerbrandus magnopere vellet, alia fuisset fortè methodus instituenda & quædam explicanda plenius. Antipappianum nonnihil me principio conturbavit. Sed cum pressius reputo, ephemerum fore arbitror & semel à paucis lectum mox abolitum iri. Oprandum sanè sit, ut D. Pappus consultius theses instituisset, quanquam non dubito, zelo optimo id fecisse. Verùm & hæc Dominus in bonum finem convertet. Commendo te gratiæ Dei, Vir Reverende ac chariss, frater, & me tuis precibus. Basileæ, 12. Maji, Anno 1579.

T. d.

TOTUM &amp; EX ANIMO

Sulcerus.

CCLVII.

*Reverende & clarissime vir, compater carissime.*

Citatur ex Sophocle versus apud Clementem Alexandrinum, tamen in his Tragædiis, quas habemus non legitur: *ἀπαιτὸν ἡ τύχης τὸν ἴσον ἔχει φέρει.* Cum igitur te, fortuna non mutari, sed benevolentiam erga me perpetuam retinere, humanissimâ epistola, postridie Georgii Argentinæ scripta, ostendas, agnosco specimen bonitatis naturæ tuæ, quod eò mihi gratius est, quia iudicio etiam te moveri statuo, ne in hac temporum confusione & in tot distractionibus à me alienari animum tuum patiaris. Scito autem, me superioris anni literas D. Celestino datas, à bono illo viro non accepisse. Quem longè aliam mei mentionem, quàm à te perscribi voluit, passim in toto itinere fecisse, ex Hodceporici illius excerpto, Witteberga ad me misso, & aliis iudiciis intellexi, teque oro, ut de iis, quæ Argentinæ & in Stiria egisse scribitur, *ἀλλὰ τὸ ἀλλοτὸν* mihi exponas. Migrationem tuam in vetustissimam Germaniæ Academiam Heidelbergensem tibi & ecclesiæ salutarem esse, toto pectore opto. Mihi princeps meus semestre ad initia emendationis juvanda concesserat. Id postea Collegarum meorum & ordinum provinciæ instinctu retractavit. Nec ego alia conditione unquam Palatino promisi, quam si princeps meus assentiretur. Si lectores, ecclesiis nostris *ἐπιλέγουσι* & ad docendum idonei initio haberi possent, optandum esset, tales solos retineri vel statim conduci, & vel ut de novo Scholam *ἐπιπέδοις καὶ ἀμυνούται* condi: cujus seminarium in Theologica præcipuè & Philosophica professione, cæteris alumnorum principis in æde Sapientiæ futurus esset.

esset. Quod si nostræ cōfessionī adjungere se præsentēs nolent, nec alii haberi subito poterunt, connivendum aliquantisper erit, modò publicè scandala nulla excitentur & Theologica præcipue ac liberalium artium studia constituenda erunt. Sed de tota constitutione Academiæ ex tuis literis, quas promittis, haud dubie cognoscam. Deum oro, ut *σοφὴν ἀγαθὸν καὶ ἀφορμὰς διδουσίαν* Vobis in hac deliberatione tribuat & nos omnes doceat ac gubernet. Ut in Basiliensi Academia Doctoris gradum accipias, Collegæ mei non solum non ægre ferunt, verùm etiam tibi ac tuis studiis & honoribus gratulantur. Quod corpus legum Scholæ Græcensiste missurum polliceris, valde mihi gratum est. Veram nec procemium nec reliquam Scholæ constitutionem, sed nudas leges seu statuta, uno tantum capite, tertio aut quarto exposita desidero, ne frustra labor in pluribus describendis ponatur. Tuam etiam Carinthicam Reformationem adjungi cupio. De Sebaldò Heulnero etiam doceri velim, an superstes sit, vel ex hac vita decesserit. Perturbat enim me, quod felices memoriæ appendicem nomini ejus adjungis, D. Simon & M. Posselius vicissim tibi salutem amanter optant. Hæc ex lecto, cui podagricis doloribus jam dies 14. affixus sum, dictavi, cum Eliam Protum isthuc cum discipulis iter habere intelligerem.

Reverendo & Clariss. Patri salutem reverenter opto. Benè vale, 20. Junii, Anno 79.

David Chytræus.

## CCLIIIX.

## Ex Hodoeporico D. Georgii Celestini,

Anno 78. Extractum.

**V**Agatus est superiori anno per omnes ferè Germaniæ aulas, civitates & provincias Lutheranas impudenter mendicans, oblato passim principibus & urbium magistratibus Libro, velut à se compositò, Impostor quidam & Nebulo vanissimus, qui se Georgium Cœlestinum, ecclesiæ Colonienſis in Marchia præpositum nominavit, quem qui propius norunt, breviter definiunt, Scelestinum, Animal ex fatuitatibus, scurrilitatibus, impudentia, avaricia, imposturis & Schelmitudinibus, conflatum.

In eo itinere mirabiles fumos passim vendidit, & mendacia impudentissima sparsit, & fraudes prorsus sceleratas exercuit.

In Boëmia, nomine Electoris Brandenburgici commendationes ad Florianum à Grysbeq, Wilhelmum à Rosenberg in Cromelow; in Austria ad proceres

Ffff

Austria-